

eius ficta, sed ex animo, ideo adiectū est, corde. Non enim humilis ostentatione exteriorum rumculos populi aucupante, sed corde & animo approbatur. Ideo dominus noster Iesus Christus: Discite, inquit, a me, quia mitis sum, & humilis corde. Simulata enim humilitas est duplex superbia, ideo non potest esse diuturna. Qui suco & simulatione ficto non modo sermone, sed etiam vultu firmam se gloriam consecuturos esse existimant, longē profectō falluntur opinione. Debet quidē humilitas in exterioribus splendere, sed ex animo prodire, vt omnis gloria filie regis sit ab interiore, & foris etiam in simbris aureis, vt verbis vtat Dauidis, circū amicta varietate. Vt Canticorum illud in illa compleatur. Quam pulchra es amica mea, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus lateat. Ne quis putaret elegantia & ornatum sponsa, per quam ecclesia & anima Deo grata intelligitur, ex iis rebus solum consistere, quæ oculis aspiciuntur, ait omnem eius vniuersitatem, & pulchritudinem esse in intima mente collocatam, ex qua in externa ornamenta procedit. Arca testamenti non solum foris, sed intus præcipue erat inaurata, & diuinam legem, virgam Aaronis, & manna cibum celestem continebat: Tabernaculum Moysi in parte interiore erat ex cortinis, & præstantibus auleis mirabiliter ornatum, ex parte vero exteriori erat sagis cilicinis minoris pretij contextum. Nam vt apostolus ait capite primo epistolæ posterioris ad Corinthios: Gloria nostra hæc est testimonium conscientia nostræ. Qui virtutis speciem & ostentationem magni faciunt, ipsam autem virtutem contemunt, Deo non immolant, nisi prius pellē, hoc est virtutis simulationem proiciant. Animal Deo immolatum, vt ipse Deus primo capite Leuitici præcipiebat, detracta pelle in frustra condecidetur. Considera Dauidis humilitatem ex intimo animo depromptam, qui cum Deo qui omnes nostras videt cogitationes, loquens aiebat: Domine non est exaltatum cor meum, nec elati sunt oculi mei, nec ambulauit in magnis, nec in

mirabilibus super me. Ideo te abiice, & vilem reputa, & vt verbis vtat diuini vasis Nahum capite tercio: Intra in lutum, & calca, subigens tene, siue tere laterem. Hoc est, intra in te metipsum, & sentiens te esse abiectum lutum, conculca illud, & animi amplectere humilitatem. Et vt ait capite terio decimo Ecclesiasticus. Humiliare Deo, & expecta manus eius. Et diuus Petrus capite quinto epistolæ suæ prioris: Humiliamini sub potestate manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Et diuus Iacobus capite quarto: Humiliamini in conspectu domini, & exaltabit vos. Nam vt ait Christus Deus noster: Qui se humiliat, exaltabitur. Eam ob causam publicanus in Euangelio laudatur, & phariseus reprehenditur. Et Christus docet, vt inuitati ad nuptias, nõ in primo, sed in vltimo loco discubamus. Ipse enim humilitatem dilexit, & docuit. Quæritus ad regnum fugit, & ad cruciatum, dedecus, & contumelias se obtulit. De illo ait ita cap. 2. ad Philipenses apostolus: Semetipsum exinanivit formam serui accipiens. Et paulo post: Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod Deus exultit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Vis ad veram ascēdere dignitatem? descende per animi abiectionem. In excelsis ædificiis construendis. solent opifices lapides elaboratos sursum ferre funibus volubili artificio in sublimi constitutis. Et vt quanto plus funis ex vna parte descendit, atque vi & attractione fabricarum deprimitur, tanto altius ex altera parte extollitur cuni lapide, sic quanto se quis abiectus & demissus per animi humilitatem, & contempTIONem prosternit, tanto amplius & sublimius ascendit per decus & ornamentum. Consistit enim verus honor in falsi honoris despicientia. Et solet Deus eos, quos mundus abiicit, contēnit, & obscurat, si ipsi humilitatem & tolerantiam amplectuntur, honore afficere, vt non solum non desiteant, sed celebrem obtineant nominis claritatem & amplitudinem. Eos qui ob-

Nahū 3

Ecll. 5.3.

1. Pet. 5.

Iac. 4.

Mat. 24.

Luc. 17.

Luc. 18.

Luc. 17.

Ioan. 6.

Phil. 2.

Similitudo.

Mat. 11.

Psal. 44.  
Cant. 4.

Exo. 25.

Hebr. 9.

Exo. 26.

2. Co. 1.

Leuit. 1.

Psa. 130